

~~SW.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

W-26.

SIGNAT. ~~1515~~ CCCXIII.

Stückzettel erled.
11. XII. 1944.

Συν Θεῷ

DISPUTATIONUM
ETHICARUM.

III

De
VIRTUTE MO-
RALI.


In Inclyta Wittebergensi Academiā
proposita

PRÆSIDE
M. NICOLAO HUNNIO
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE
ELISÆO HOMBERGERO
Græcensi Styro.

VVITTEBERGÆ

Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1610.



V I R O

Nobilissimo, Amplissimo
& Consultissimo,

Dn. JOHANNI SEUSIO,
ILLUSTRISSIMO AC SERENIS-
simō Electori Saxoniæ à Secretis fan-
ctioribus,

ut &
Reverenda dignitate, pietate, doctrina, alijsq; vir-
tutibus præstantissimis Viris,

Dn. JACOBODANIELI Starci/
Ecclesiæ Mitwedensis Pastori vigilantissimo,

Dn. TOBIÆ SIMONI Scholæ
Dresdensis Rectori meritissimo,

Dominis, Promotoribus, Patronis suis
unicè colendis,


αγάνισμα ἡθικὸν
in grati animi σύμβολον
debitæ observantiæ τεκμήριον

Dicat

&

Offire

Respondens.



DISPUTATIO III.

VIRTUTE MORALI.

I.

*Medium, quo ad summum bonum du-
cimur, est virtus.*

*Virtus est habitus electivus, in mediocri-
tate constitutus, & ratione definitus, prout
vir prudens eam definiret.*

I.

*τὸαμονία, seu summum bonum diximus a-
ctionem secundum virtutem. Quia verò nulla
sine virtute virtuosa actio, ideo prius acqui-
renda virtus: quadam ergò illius considera-
tione opus erit. Eam verò sic instituemus, ut
virtutis definitionem, causas, actionum prin-
cipia, species, effectus deniq; expendamus.*

*II. Quod ergò ad primum: virtutis nomen πολύσημον est;
modò enim perfectionem essentiæ & proprietatum essentiali-
um notat. Arist.lib.7. Phys.cap.3. §.18. alias quemcunq; effectum
& cuiusq; βελτίστῳ εξ lib.2. Eud.cap.1. in quem sensum Zabarella:
virtus demonstrationis est, scientiam parere lid.1. post. anal. ad §. 161
Mox quamcunq; inanimatorum vim, seu agendi potentiam:
qualis magneti ferrum trahendi: igni, aurum à scorijs repurgan-
di adscribitur. Hinc brutorum quædam virtus est; notabiles
puta specierum proprietates, ut aquilæ plenum solis jubar in-*

A 2 tueri:

tuere: equi, animatum esse ad pugnam. Arist. 2. Eth. 5. Strictior de-
nique significatio Ethica est soli competens homini, qua cæteris
viventibus omnibus præcellit, estq; facultas laudabilis ab Aristote-
le descripta 1. Rhetor. 9. αἱρετή δέι δύναμις πολεμική αἱρεθῶν, καὶ Φυ-
λακική: καὶ δύναμις ἐνεργείαις πολλῶν, καὶ μεγάλων, καὶ πάντων
τοῖς πάντας.

II. Ea verò rursus vel intelligitur ἐμΦυτος, singularis, aut
eximia indoles; aut inclinationes ad diversa percolenda studia,
cujusmodi Φυσικὰς ἔξεις virtuti similes pueris & brutis inesse
concedit Aristot. 6. Ethic. 13. vel ἐπίκηπτος; (alias habitualis, seu ac-
quisita) ex naturalibus, & insitis honestatis seminibus per cre-
bras actiones excitata. Vel deniq; Θεόσδοξος, habitus divinitus
infusus, linguarum, scientiarum, artium, &c. Actor. 2, v. 4. Exod. 31.

v. 2. Cùm autem Ethicus tertiam speciem virtutis vel penitus
ignoret, vel sanè de illa acquirenda nihil laboret; primam verò
præsupponat; ad secundam utiq; res omnis præsente loco diri-
getur. Et quia hæc generaliter sic dicta virtutis definitionem
non æqualiter recipit: ideò Colleg. Conimbr. disþ. Eth. 7. quæst. 1. art. 1.
virtutem non prius definiendam censuit, quām in ηθικας, mo-
rales, & διανοητικας intellectuales ex Aristot. 1. Eth. 13. & 2. Eud. 1. e-
am dispesceret: cui distinctioni nos etiam calculum addentes
definitionem in thesi positam de morali περιτως; si non unicè ac-
cipiendam protestamur. Est enim virtus quiddam commune
ab uno, quod non exactè cognoscitur, non explicatis contentis
sub eo; Piccol. grad. 4. Phil. mor. cap. 4..

III. Virtutem definit Aristoteles lib. 2. Eth. 6. Εἰναι ἀρετὴ ἔξεις
περιαγείαις την μεσότην δύο την περὶς ήμας ὠρισμένη λόγω, ως αὐτὸν
Ορόνην τοιούτης. Genus est ἔξεις, habitus: qualitas nimirum,
crebris actionibus comparata. Probat hoc Philosophus κατ' ἀρ-
ετην. Ethic. 4. & 1. Mag. n. 7. Quia, præsupposito, quod virtus in
anima, non corpore resideat tria tantum animæ deprehendun-
tur inesse, πάθη, διωμεις καὶ ἔξεις. Etsi enim plura insint, v. c.
ἐνέργειαι, καὶ πινήσεις. 2. Eudem. 1. plura tamen non dantur actio-
num principia. Acciaj. comm. ad l. 2. c. 5. §. 26. πάθη dicuntur, non ipsi
affectus in appetitu fundati; (hi n. nomine διωμεων illi veniunt)

Sed

sed affectuum operationes, ut actualis ira, amor &c. ἔξεις verò, qui primam qualitatis speciem constituunt. Virtus autem nec διάναμις, nec πάθος. Non hoc i. virtus conjuncta est προαιγέσσης 2. à virtute dicimur boni. 3. laudamur. 4. Non inovemur: quæ omnina in affectibus contrario se habere modo constat. Non illa: quoniam i. virtus denominat bonum, διάναμις non item 2. Διάνα-τοὶ ἐσμέν Φύσει, αγαθοὶ δὲ 3. γνόμενα Φύσει Ergo restat, vir-
tutem esse habitum.

IV. Id quod porrò confirmant ea, quæ ad naturam habitus spectant. Is autem tria postulat. 1. Φύσιν, naturæ aptitudinem, & promptitudinem: ad quod enim natura sumus inepti, nunquam per habitum acquirimus. 2. μάθησιν præceptorum perceptio-
nem, docentium, quibus ille modis, medijs, actionibus &c. com-
paretur. πεῖξ enim θεωρίαν præsupponit Discendum ergo pri-
mum, quid agendum, priusquam ad actionem fiat transitus. 3.
ἄπησιν, seu crebram præceptorum praxin, & exercitationem.
Hæc tria ut in cuiusvis habitus, ita virtutis quoque generatione
sunt omnino necessaria, veraq; media, & conditiones, quibus
virtus acquiri & comparari valeat. Ita, si quis circa terribilia
moderatè versari discat, sæpius etiam versetur, vel cibo & potu
moderatè fuerit usus, fit, ut moderata isthæc actio sæpius repe-
rita naturæ arridere incipiat; ita, ut postmodum similia cum
voluptate, ac promptitudine agat, & tam defectum, quam ex-
cessum vel maximè aversetur: id quod est virtus.

V. Actionibus ergo virtus acquiritur, ut omnis habitus, tribus,
quæ cōformitatem, & ὁμογένειam cum ea peculiarē & exactam ha-
beant: & in genere quidem, i. cum virtutes sint bona, actiones
quoque bonas: 2. cum sint moderatæ, ipsas etiam moderatas es-
se oportet. Arist. 2. Eth. 2. In specie verò temperantia non com-
paratur justis, sed temperantibus: liberalitas non magnanimis,
sed liberalibus actibus.

V I: Vnde verò isthæc actionis cum acquirendā virtute
ὁμογένεια constat? Resp. Duplicem hic canonom Philosophus sug-
gerit. 1. Σκοπεῖν δει, πεὸς ἀ εὐκατάΦοροι ἐσμέν: καὶ εἰς Τυνανίον
ἀΦελκεῖν 2. Ethic. 9. Quivis enim natura ad alterum vitiorum, seu
extre-

extremorum proclivis est: ad quodcunque igitur propender, deflectendum est ad eius contrarium: sicut faciunt, qui ligna distorta dirigunt. περὶ ἡγαγόντων περίφυλα μὲν, ταῦτα μᾶλλον ἀντίστα τῷ μέσῳ. Arist.lib.I.Mag.mor.cap.9. 2. Εἰν πάσι μάλιστα Φύλακτέον τὸ ήδυ, καὶ τὸ ηδονών. 2. Ethic.9. Ad quod vitium prona est natura, hujus exercendi voluptate dicitur: Itaq; sequentes actionem voluptati conjunctam certò ad naturale vitium delabimur: hanc autem fugientibus agendum ea, quibus non delectamur: sic enim facilis ad medium, tanquam scopum collineabimus.

VII. *Habitus electivus*, περὶ αὐτούς, hoc est, quæ cum deliberatione electione seu περὶ αὐτούς agit. Philosophus memor sui pronunciati 4. Ethic. 4. οὐ εἴχεις τοὺς ἀνεργούς οὐ εἶχες ταῦτα: οὐ εἴχεσθαι αἱ εἴδης, στῶν γὰρ τὰ ἔργα. lib.12. Eud.1, virtutis naturam rectius explicatum iri judicavit, si modum agendi descriptum dederit. Hoc autem præstat adjiciendo terminum *Electivus*, quo demonstraret 1. Virtutem non esse eorum, ad quæ naturā sumus determinati. τὸ θερμόν δὲν αρετής δὲν γάρ επ' αὐτῷ περί αὐτούς, οὐ μὴ περὶ αὐτούς. Arist.6.Eth.13. 2. Brutorum actiones non esse virtuosas; nec harum principia virtutes. Leo fortis, turtur castus, &c. virtuti hæc similia, virtutes tamē negantur 6. Ethic.13. quia laudabile non est naturæ instinctum (non correctum deliberatione ac electione) sequi, ut faciunt bruta: quia hoc laude dignum, aberrantem à bono naturam in viam revocare, mala suadentem non sequi, sed virtute ad bona flectere. 3. Definiri in præsentia non intellectuales virtutes: sed morales: dum illæ theoreticæ cumpromis, minus propriè περὶ αὐτούς determinari, atq; finiri dicantur. Magir.comm.in 2. Ethic.6.lit.G. 4. Neq; virtuosum censendum, qui extrinsecis, & forinsecus objectis impedimentis, carcere, morbo, pauperie &c. impeditur, quo minus ad vitia ruat: hoc enim etiam nequissimis contingit. 5. Neq; illum, qui cœco impetu bonam actionem exequitur. Virtutem proinde arguit actio, quam suscepit 1. eidōς. 2. περὶ αὐτούς. 3. περὶ αὐτούς δι' αὐτού 2. Eth.3.

VIII. *In medio constitutus.*

In medio consistit virtus: I. Idq; dupliciter: vel enim medium servat in moderandis affectibus: μεσότης γὰρ δοκεῖ τις εἶναι τῶν παθῶν Arist.1. Mag. Mor. cap.9.l.1. Eudem.5.: vel in actionibus dirigendis, ut servetur medium inter extrema duo vitia, υπερβο-

λώ, excessum; καὶ ἐλλείψιν, defectum. Utrumque omni virtuti commune; quantumvis magnanimitas, & magnificentia, itemq; justitia dubiam hanc rem apud quosdam reddiderint: sed præter rem. Magnificentia namque, & magnanimitas in maximis versantur consideratione materiæ, & objecti; at non circumstantiarum: versantur enim in maximis honoribus, & sumtibus; at modum in his omnibus servando. *Piccol. grad. 4. Phil. mor. cap. 6.* Justitia suum cuique tribuit: à qua actione deflectere licet, tam nimium quam minus tribuendo. Nihil proinde obest, quantumvis utrumque extremorum uno nomine dicatur in justitia, quoniam re ipsa est duplex; pari ratione atque liberalitati oppositum vitium citra inconvenientiam communi appellatio illiberalitatem (& sic de cœteris) dixeris, ut nihilominus neutrum extremorum excludatur. *Vid. Piccol. grad. 4. cap. 6.* Porro: medium inter extrema duplex est: 1. ναῦς μέσης per extremorum participationem; uti tepidum inter calidum, & frigidum. 2. ναῦς απάργησιν, negationem extremorum, uti tertius inter secundum, & quartum. Virtutis medium posterioris generis credimus: non enim ex vitiorum commixtione quin utriusq; potius negatione virtus consurgit, atque existit.

IX. Ad hujus membra restrictionem additur particula (ναῦς, quo ad nos) Nam rursus duplex se offert medium: unum τὸ περίγυματος, seu rei, alterum ναῦς ημᾶς. Λέγω δὲ τὸ μέσον περίγυματος μέσον, τὸ ίσον απέχον αὐτούς ἀνθρώπους, ὅπερ εἴσιν εἰν, καὶ ταυτὸν πᾶσι. **2. Ethic. 5.** observat igitur proportionem arithmeticam, ut uni extremorum nulla ex parte vicinus, aut similius sit, quam alteri. Medium vero ναῦς ημᾶς dicitur; οὐ μήτε πλεόναζε, μήτε ἐλλείπει τὸ δέοντος. τὸ το δὲ γένεται εἰν, γένεται τὸ αὐτὸν πᾶσι. **lib. 1. Mag. mor. c. 9.** μεσότης tamen isthac aliquid habet latitudinis, nec in puncto quopiam αὐτούς constituta intensionem prorsus omnem ac remissionem respuit. Fortior enim Cæsar Pompejo, Scipio Hannibale; uterque tamen fortis. Ita unus temperantior, liberalior, &c, altero.

X. Nec

X. Nec obstat μεσότης quò minus ἀκρότης etiam dicatur virtus. μεσότης namq; est in oppositione ad virtia, οὐ περβολὴν ήγή ἐλλείψιν: ἀκρότης, dum ut bona opponitur malo. Hinc Arist. 2. Eth. 6 χαρακτηρίζεται μεσότης εἰν τῇ ἀρετῇ, κατὰ δὲ τὸ ἄριστον, ηγή τὸ ἐν ακρότης. Vid. Acciaj. 2. Eth. 6. ad § 38. Piccolomineus virtutē ἀκρότητα dicat ait, 1. Munere perfectionis, cui opponitur imperfectum. 2. Ratione suæ rectitudinis, cui adversatur obliquitas. 3. Ut virtus est, à qua vitium (non tamen disjunctionem, quam conjunctionem autemq;) maximè distat. grad. 4. cap. 15.

XI. Denique: Ratione definitus, prout vir prudens eam definiret. Non sufficit, actionem virtutis esse προαιρέσει conjunctam: quandoquidem actiones etiam malæ cum προαιρέσει fiunt. Hanc igitur limitare fuit visum, causam adjiciendo, à qua hæc electio determinanda, ac limitanda; rectam nimirum rationem. Et si enim electio nulla sit, nisi rationis: quia tamen hæc nonnunquam depravata; Et verò à vitiosa, quā tali, nulla virtus: utique à recta ratione prudentiæ (quæ omnium virtutum ceu vita est, atq; congeries, eoq; sensu definitur εξις αληθῆς μετά λόγου προαιρέσεως τὰ ανθρώπων αγαθά, ηγή κανά. 6. Ethic. 5.) conformatâ virtuosas actiones dependere oportet. Ut virtus demum sit ille habitus, qui, in medio positus edit operationes rectæ rationi prudentiæ definitæ respondentes.

II.

Hæc Virtutis definitio ad causarum ejusdem considerationem nos ducit, quarum singulas expendamus ordine.

E F F I C I E N S virtutis remota D E u s e s t : p r o p i n q u a a c t i o p r æ c e p t a e x e r c e n s : a d j u v a n s e d u c a t i o .

I. Sicut Deus omnis boni fons est, atque origo, sic quoque virtutis causa existit: idque 1: aliqua virtutum semina, discriminem

puta



puta honestorum & turpiū naturā implantando: hoc enim est
opus legis omnium hominum cordibus inscriptum. Rom. 2. v. 15.
2. tum per Mosen in decalogo Exod. 20. tūm per ordinarium magi-
stratum legibus adigendo. 3. Cōminando, & puniendo eos, qui vi-
tijs indulgent. Deu. 27. v. 27. I. Cor: 6. v. 9. Rom. 13. v. 4. 4. Exemplis
invitando. Matth. 11, v. 9. Iohann. 13, v. 14. 5. Virtutibus in bruta
depictis ad æmulandum nos provocando. Esa. 1. v. 3. Matth. 8. v. 26.
6. Actiones bonas efficaciter promovendo, benedicendo, ad u-
sum salutarem & congruum deducendo. Heroicos interim mo-
tus Deus non tām præceptis, aut legibus, quām occulta, & singu-
lari, nobis occulta ratione ciere, ad eosq; homines instigare lo-
let. Iud. 13. v. 25. cap. 15. v. 14. Ut virtus heroica vix aliam quam-
cunque causam agnoscat, præter unicum Deum. Sed hæc suo
loco.

II. Exurgit hinc quæstio. an etiam Ethnicorum hominum virtutum.
actionumq; virtuosarum Deus causa existat? dubitandi ratio est, quia
peccata ideoque malæ potius, quām bonæ censendæ videntur.
Resp. Virtutes, & quascunque actiones vel considerari εξ αὐτῶν
ut actiones, & ut virtutes, seu quidditativè, ac formaliter:
vel ἐν περὶ θέσεων subjecti; dum accipiuntur, ut hujus vel
illius personæ sunt virtutes, & opera. Omnes sive virtutes, sive
ἐνέργεια per se, absque collatione ad subjectum bonæ sunt; quæ
& quatenus à Deo præceptæ, ex lege, cordibus gentilium inscri-
ptæ profectæ: quo etiam respectu Deum causam, & autorem a-
gnoscunt. Dum verò respectus habetur ad personam, cui vir-
tus inest, fit, ut actiones etiam optimæ καὶ συμβεβηκός in ma-
llas degenerent. In Veteri Testamento sacrificia divinitus man-
data bona erant, sed à personā infideli præstita pessima. Esa. 66. v. 3.
Atque hoc sensu virtutes pariter, & virtuosæ gentilium actiones
ut ab infidelibus prælatae, & sine fide peractæ nec Deo placere,
neceundem autorem agnoscere poterant.

III. Propinquior causa est *actio*; quæ, qualis intelligatur,
quomodo virtutis habitum generet, prius expositum. Actio-
nem verò nominantes intellectum non excludimus; actio enim
causam agentem præsupponit; quoniam nulla est vis, nullus effe-
ctus actionis, sed unicè agentis per actionem suam operantis.

B

I V. Cœto-

IV. Cæterum: gemina hinc exurgit quæstio. 1. num ergo virtutes non sint à natura? Resp. Non parum ad virtutis generationem conferre naturam congenito suo honestorum & turpium discrimine extra litem, ac disceptationem ponimus: id tamen non ad efficientem, sed materialem potius virtutis causam pertinere statuimus, quatenus subjectum disponens hominemq; aptum virtuti recipiendæ reddens. Attamen cum non de seminibus & ad virtutem inclinationibus, sed ipsamet virtute quæatur, in negantem abire placet. Cujus negationis nostræ hanc rationem damus. Quicquid 1. assuefactione introducitur. 2. Nec in omnibus eandem naturam participantibus reperitur. 3. operationem suam non edit cum voluptate. 4. Ad quod legibus, præmijs, & pœnis adducimur. 5. Et ad cujus contrarium natura inclinat, illud naturâ inesse nequit. Consequentia ratio in singulis membris hæc est. 1. Assuefactio præsupponit naturam & quod sufficiens originis suæ principium intus habet per media externa non acquiritur; ἀλλὰ τὸν φύσει, ἐθεὶ ἄλλως γίνεται. Arist. l. 1. Mag. mor. cap. 6. 2. Omne per se naturam aliquam consequens semper illic est, ubi natura. τὸ γάρ διον καὶ μόνω, καὶ τῷ αὐτῷ, καὶ αἱ συμβάσει. Isag. Porph. c. 4. §. 1. Cum in omnibus, singulisque hominibus natura sit omnino eadem; consequentia illius omnibus hominib. inerunt. Quicquid 2. tale non est, illud neque naturam adæquatam, & perfectam sui causam agnoscit. 3. Naturam omnes actiones cum voluptate expedire Aristot. 2. Ethic 9. docet; & facile hinc poterit constare quia omne ad quod inclinati sumus, quodve sponte agimus, imò agere desideramus, hoc cum voluptate nos facere certum est. Cum verò omnes naturales (hoc est quæ naturâ insunt) facultates ita sint comparatæ, omnes igitur naturales actiones voluptati conjunguntur. 4. Quarti membra ratio ex modo dictis cernitur. Ad naturalia enim non cogitur natura, sed sponte sua ruit. Nullis legibus, minis, promissis lapis ad decidendum, ad videndum animal: ad ratiocinandum homo. dicitur Virtutem fugere, eamq; generare seu producere opposita sunt: nihil verò contrariorum causa: τὸ αὐτὸν, καὶ οὐκέτως εἴτε αἱ τὸ αὐτὸν πέφυκε τροπæ. Arist. l. 2. de gen. & corr. cap. 10. §. 56.

E5



ergo vir.
neratio.
urpium.
tamen.
sam per-
nemq; a-
de semi-
ite quæ-
tra hanc
ur.2.Nec
r.3.ope.
legibus,
om natu-
ratio in
naturam
r media
giverat.
am con-
ōvō, nō
bus, sin-
tia illi-
ud neq;
3.Natu-
hic 9.do-
meliinati
noccum
turales
ratæ, o-
4.Quar-
uum non
promis-
andum
cere op
úras e-
o. §.36.
Es

Et sane nulla natura operatur sibi adversa. Si ergò virtutem gene-
rat, non protrudet ex se vitia: aut, si hoc; certe virtutum causa
non existit, sui enim promoveret destructionem. Aduer.

V. Atqui virtus i. per assuetudinem introducitur. Sic enim experientia: sic Aristot. 2. Eth. 1. lib. 1. Mag. mor. cap. 6. Sic ratio foret quippe omnis educationis, & quorumcunque laborum ad assuendum virtuti facientium conatus irritus ac frustaneus. 2. Non eandem in omnibus hominibus reperi vir-
tutem, luce sua clarer, ac lucet; cum in placuisse vix ullam, in
multis nullam, in paucis aliquam virtutem reperias. 3. Nil molestius homini, quam agere virtuosa: et si quidem inficias ire
nolimus acquisitæ virtutis actionem jucundam; attamen diffi-
teri & quaquam licet, acquirendæ cùm est virtus, molestas ad-
modum actiones esse ad eam ducentes. Ideo Philosophus in
hoc casu maximè devitari jucunda & suavia voluit, quod illa na-
turem & consequenter vitiosam causam arguant. 4. In con-
troversiam venire non potest, legibus, præmijs, & pœnis invi-
tari, si non cogi hominem ad virtutem, à vitijs autem deterre-
ri: quotidianum hoc & planum, 5. Naturam inclinari ad vitia
virtutibus opposita, non sacrarum modò literarum, sed ipsius
quoque experientiae testimonio clarum evadit, idque vel ex eo
cernitur, quod 1. Ingeniosiores sumus circa mala, quam bona.
2. Faciliore, & feliciore (imò infeliciore) cum successu in illis
versamur, quam his. 3. Majore cum voluptate vicia sequimur,
quam virtutes. 4. Sine laboriosa institutione non facilè quis-
quam virtuosus; at citra omnem laborem, ac molestiam vitiosus
evadit quisq;. Conclusio ex dictis sequitur; Ergò virtus naturâ
non ineit. Vid. Piccol. grad. 4. Ph. mor. cap. 17. Et dissidentem Tempel-
lum disput. de Eth. quibz. ex Arist.

VI. Altera quæstio est: sintne actiones habitum virtutis antece-
dentes, cumq; insequentes ejusdem speciei? Etsi alij in affirmati-
vam abeant, nobis tamen negativa placet, quia distant. 1. Effici-
ente causâ. Earum, quæ habitum antecedunt, causa existunt præ-
cepta; quæ autem insequuntur, habitus, et si voluntas utrobique
primatum teneat, illarum tamen virtuosa: harum non-virtuosa.
Hinc illæ bene quidem fiunt; at bonæ non sunt; haꝝ & bonæ, &

benē fiunt. *Scal. exerc. 307. sect. 4.* 2. Unde qualitate propriā vari-
ant: illæ virtuosæ, hæ non virtuosæ. 3. Fine, & effectu. Illæ ad
virtutis habitum tendunt: hæ ipsæ sibi finis sunt, summum quip-
pe bonum; hominemq; beatum reddunt; & consequenter volu-
ptatem honestam excitant, amicitiam conciliant. Quæ verò
hunc ad modum differunt; certè specie, si non plus quam specie
distare, statuendum.

VII. Deniq; *Educatio* hūc multum confert, quia tēner natura
sequax est, & flexibilis; ideo, dum à vitijs sensim abstrahitur, &
ad virtutis viam inclinatur, morum præceptis præparatur, & di-
sponitur, ut promptius ea postmodum percipiat, ductumq; earum
sequatur facilius.

III.

Materia virtutis in qua sunt intellectus, & vo- luntas, circa quam affectus.

I. Triplex numeratur materia: ex qua, in qua, & circa quam.
Primam non agnoscunt accidentia: omne enim materiatum cō-
positum; at; nullum accidentium corporeum. Materia in qua est
τὸν οὐλμόν, sive subjectum, quod omne accidens postular, ut si-
bi subsistentiam largiatur, & durationem. Cumq; virtus, quippe
accidens, istiusmodi requirat subjectum, quodnam illud sit, in-
quirendum.

II. Duplex est verò subjectum; ut quod, & ut quo. Extra dubi-
um versatur, illud subjectum esse hominem. Nam, brutis quæ in-
sunt, similitudine solum quapiam veris & ἀνθρωπίναις virtuti-
bus respondent, & ὡμοιόμοις ita dicuntur, docente Aristot. 6. Eth. 13.
Neq; tamen in cujuscunq; ætatis hominem virtus cadere potest:
nam pueri, quoniam imperfectè utuntur ratione, virtutis non-
dum sunt capaces: ergò adulti solum istud subjectum erunt.

III. Subjectum ut quo, hoc est, qua mediante parte & facultate
πρώτως homini virtus inest, aut anima erit, aut corpus. Non cor-
pus; hoc enim, quicquid facultatum habet, ab anima accipit: Er-
gò ab his facultatibus dependens virtus primò corpori non in-
haret: ergò animæ. Άρετὸν γὰρ λέγομεν ανθρωπίνῳ, & τῷ το
άνθρωπῳ, ἀλλὰ τῷ τῆς ψυχῆς. Ethic. 13. Porro: in anima duplex
facul-

facultas, τὸ λογικὸν, καὶ τὸ ἀλογον. Ibid. Illud rursus duplex occurrit, τὸ μὲν κυρίως, καὶ τὸ ἑαυτόν, τόδε ὥστε τὸ πατέρος αὐγεῖκόντι. Ibid prius intellectum comprehendit, & voluntatem; hoc appetitum, quatenus intellectui obediendo rationis fit particeps, haud aliter, atq; equi à sessore recti, dum secundum rationis dictamen incedunt; rationis, quò ad hanc operationem redduntur participes.

IV. Τὸ ἀλογον facultas in homine nuncupatur, quæ per se ratione utitur. Hanc duplē statuere licebit, ἀλογον ἀπλῶς, & κατάλη. Prior est vegetalis, seu τὸ Φυλικὸν, η Θρεπτικὸν, ut dicitur Aristot. i. Ethic. 13. ideo, quòd nec in seipso rationem habeat, nec dominio ejusdem subjaceat. Posterior sensitiva, seu appetitiva imperio rationis subjecta. Innuit hoc Aristot. cit. loco. τὸ μὲν Φυλικὸν ὁδαμῶς κοινωνῆ λόγῳ, τὸ δὲ θρεπτικὸν, καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν μετέχει πώς, η κατηνούν δέντιν αὐτὸν οὐδὲ πειθαρχικόν.

IV. Ad rem nunc proprius accedentes quaeramus, quòd tandem referenda virtus? Non spectat ad απλῶς ἀλογον. 1. Quia hæc pars nulli omnino p̄cepto, aut institutioni paret; quod tamen necessarium prorsus, si virtus (quæ non, nisi per doctrinam comparatur, & institutionem) acquirenda foret. 2. Coercerentur per virtutem facultates vegetales, cùm tamen harum nulla, quā talis virtutibus corrigatur. Nam, quòd temperantia ut & continentia circa potentias vegetantes sunt occupatæ; non faciunt hoc, quā illæ tales sunt, sed appetitu, ejusq; inordinatis affectibus ducuntur. & ad vicia rapiuntur. 3. Omne potentijs p̄dictum vegetantibus virtutum esset capax, ideoq; non bruta modo, sed & plantæ.

V. Porro: si quaerenda virtus τὸ τῷ λογικῷ, in imperantene (facultate rationali) an subdita, & obidente (appetitu) ipsam inveniemus? Apud multos hoc obtinuit, ut appetitivam facultatem subiectum virtutis facerent. & videtur annuere Philosophus i. Mag. Mor. cap. 5. τὸ τῷ ἀλόγῳ ἐγίνονται αἱ ἀρεταὶ λεγόμεναι, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, αὐδρεία &c. Verūm; minus commodè, ut hæc demonstrat ratio triplex. 1. Τὸ λογικὸν vitiatum est non ignorantia solum, & tenebris intellectui effusis, sed etiam ademtione dominij in appetitum; itemque voluntatis simul, & intellectus

corruptionē, ac depravationē propria & peculiari. Ut igitur & intellectus, & voluntas à suis corrīgantur vitijs, intellectui etiam ad domandū appetitū ferantur suppetiæ; virtutib⁹ quoque τὸ λογικὸν imbutum oportet. 2. Ubi cunq; adæquatum, congruum, & propriū datur subjectum, ibi res poterit ipsa reperiri. Cūm verò bruta capaciā sint appetitus: quidnī etiam bruta virtutis (si hujus subjectum appetitus) diceremus capaciā? 3. Neq; Aristoteles, nec Peripateticorum quisquam prudentiam in appetitu; sed omnes potius posuere in intellectu, lib. 6. Ethic. c. 3. s. lib. 1. Mag. mor. cap. 1. s. Atqui; prudentia quidnam aliud, quām omnium virtutum moralium fasciculus, atque corona? Definitionem illius 6. Eth. s. perpende, & calculum addes. Quod enim διανοήσις intellectui assignat Aristoteles; ηθικὰς appetitui, ideo factum, quia illas consideravit, ut subjectum ἀνάρχεως, īhæsionis afficiunt; illas verò, ut operando foras in appetitū, ejusq; affectus agendo subjectum ἐνεργείας, sive operationis respiciunt. Cæteras addere rationes supervacaneum, quæ videri possunt apud Piccol. grad. 4, cap. 7. vid. etiam seqq. cap.

V I. Rectius proinde τῷ ἀπλῶς, καὶ πεώτως λογικῶς virtutes adscribimus, sic statuentes. Intellectus, & voluntas jure naturali dominium quoddam in appetitū obtinet; id tamen per lapsum collapsum, multisq; modis debilitatum, ita, ut appetitus iugō excusso pravis feratur affectibus, jamq; adversus dominum suum rebellis in suam haud raro captivitatem redigat. Qua de causa, ut appetitus inordinatio compescatur; virtutib⁹ armans est intellectus, quō servum rebellem in pristinam servitutem redigat. Etsi verò vitiū insit appetitui, non tamen eidem protinus & virtus: quoniam sufficit, aurigæ viam notam, illumque prudenter agere; & equi recta incedent via, &, si pædagogus virtutis amans non patitur vitijs indulgere pueros, agent virtuosa virtute præceptoris licet non propriā. Expendenda hoc loco esse materia circa quam; cūm tamen prolixior ejus futura sit consideratio, proximam ipsi dicabimus εξέτασι.

I V.

Forma virtutis est ὁρθότης, seu rectitudo ad neutrum extremitum deflectens.

I. Trig

V. Trīna se offert circa præsens thema sententia; una mediocritatem; altera congruentiam cum recta ratione, tertia ὁρθότητα, seu rectitudinem formam illius statuit. Quantum ad primam; omnem virtutem in mediocritate sitam, & astruximus suprà, & larga manu etiamnum damus, non quasi virtus de se, & formaliter nihil sic præter μεσότητα; sed ut consequens, idque perpetuum, non tamen esse virtutis assignaremus. Cujus negationis hæc sunt fundamenta. Nulla negatio est forma positivi. Δηλον: formam enim formato homogeneam, ejusdemque cum ea prædicamenti quis negaret? Atqui; μεσότης negatio est extremorum; ex suprà dictis. Ergo &c. 2. Virtus esset, si maximè nullum vitium, nullum extremum. Tolle audaciam, & timiditatem, fortitudinem non sustuleris; attamen medium nullum video. Esset liberalitas, si maximè & avaritia & profusio impossibiles. Medium proinde negatur, ut non negetur virtus: formam quomodo negaturus sis, virtute non destructa, non video.

Concludo: Ergò virtus non est μεσότης.

II. Alijs formam virtutis cum recta ratione conformitatem affirmare placet. Dubito, siccne factum dubio? Omni sane virtuti exacta intercedit cum recta ratione congruentia; ut evidens nobis signum suppeditet, quo virtus dignoscatur à vitio. Quò minus autem formam dicamus, hoc obstat. Conformitas, similitudo, congruentia est ἐν τῷ πεός ἡ: virtus ens absolutum, habitus: sed forma qui posset diversè à formato esse κατηγορίας?

III. Rectius proinde virtutem ὁρθότητα λέγγ, habitualē intellectus & voluntatis rectitudinem dicentes formam ipsius expressisse putandum. Est n. virtus cœu regula, & norma boni: imò, quatenus ad summum quām proximè accedit, & verè bonū est, sibiipso norma existit. Quicquid ab hac vel levissimè deflectit, est non rectum, eoq; nomine vitiosum: Et: sicut à recto ad utramq; partem excedendo, & deficiendo deviamus; similiter à virtute excedendo cius bonitatem, aut infra eam subsidendo erramus.

Cum

Cum igitur virtus sit habitus, & quidem circā moderandos affectus occupatus, ceu norma eorum, recte dicitur, virtutem esse habitualem τὸ λογικὸν ὀρθότητα,, qua etiam affectus ad rectitudinem perducantur.

V.

Finis virtutum est τὸ οὐλὸν; idq; hominis perfectio tūm
ἐπίκη, tūm πρακτική.

I. Τὸ οὐλὸν, sive bonum aliud ἐπίκη est, aliud πρακτικὸν; unicūmq; à virtute. Illud formaliter: etenim, quicunq; habitus bonus, & laudabilis, etiam tūm, quando actu non operatur, subjectum suum perficit; ita quoq; virtus, tanquam bonus habitus bonus: laudabilis laudabilem efficit, quatenus scil. virtus est perfectio intellectus, & capistrum appetitus. Hoc finaliter: præter dictam perfectionem omnis habitus ad operationem tendit: hæc igitur bona est, dum iste bonus.

II. Virtus unam hujusmodi edit operationem, eam tamen reflexu duplicatā. Primum n. directim naturam observans boni alteri, seu proximo sele communicat, ejus commodū quærit: in alterius n. emolumētum operationem circa suum subjectū convertit. Sic n. fortis qui est, non sibi tantū est, sed & patriæ: qui liberalis similiter; sic & qui justus: atq; sic de ceteris. Reflectitur deinde actio isthæc in suum subjectū, & virtuosum afficit, 1. beando; virtutis n. actio beatitudo. 2. voluptate affiendo. Ex summo bono summa, & maxima voluptas: sine qua quid bonus? 3. Amicitiam conciliando. - Perfectio hæc non extremæ est lineæ: homo enim naturâ suâ ζῶον ὁμηλικὸν: at vera, decens, honesta conversatio, & amicitia citra virtutem nulla datur: quin ex hac potius illa, ut felix quidam partus emergit, atq; resultat.

Τῷ Θεῷ δόξα

F I N I S.

Ung. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vv. 70]

ULB Halle
002 673 452


3



5b.

VD 17





Farbkkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches
1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

